

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Dissertationem Moralem De Norma Actionum Humanarum  
Indultu Facultatis Inclytae Philosophicae In Celeberrima  
Academia Lipsiensi die VII. Maii Ann. MDCXCIIIX. H. L. Q.  
C. sub Praesidio Dn. M. Joh. ...**

**Lipsiae, 1698**

§. XIV

**urn:nbn:de:bsz:31-102642**

distribuat; & contra societas tacite à novo hoc membro paciscitur, ut pro commodis quæ percipiet, onera etiam ferat. Unde apparet, quod tacitum hoc pactum respectum habeat ad onera membri societatis in conferendis ipsi honoribus, & commoda in navandâ societati opera, ferendisquæ oneribus. Qui respectus, cum conferat inter se commoda & incommoda, & proinde non simplex sit, sed comparatus; inde est, quod in Justitia distributiva vulgò dicitur, attendi *Proportio Geometrica*; qui terminus, ut & *Proportionis Arithmetica*, ex *Mathesi ab Aristotele* petitus est, sequuto morem illorum temporum, quo ante cæteras disciplinas Mathematicis instruebatur animus; adeoque à notioribus jam antè perceptis ipse voces has desumebat. Verùm hodiè, cum is mos in contrarium ferè sit conversus; satius videtur, & magis pro captu discentium, omiſſis obscurioribus illis, adhibere terminos *proportionis comparatæ*, & *simplicis*, quod fecit *Pufendorf*. c. 1.

§. XIV.

*Justitia particularis* pro objecto habet itidem res & actiones in commercium venientes, sed *singularum*, in quo imprimis specifica ejus à distributiva differentia consistit. Hic ergo simpliciter habetur respectus inter rem & rem, vel inter rem & actionem; observanturque uti in distributiva particulæ: *toties, quoties*; ita hic particulæ: *tantum, quantum*. *Quantum tu mihi das, v.g. mercis, tantum tibi do pecunie*; & respectus hic simplex, ut supra dictum, aliàs vulgò audit *proportio arithmetica*. Uti enim in hac simplex est inter numerorum differentias æqualitas; in Geometrica autem comparata; ita hic inter rem & rem vel actionem etiam; quod, ut supra vidimus, in justitia distributiva secus. Ubi tamen observandum, quod, cum in Justitia commutativa simplex attendi dicitur æqualitas, id pro modo æstimationis moralis intelligendum sit, ubi exiguus defectus vel excessus non attenditur.

§. XV.

Et ad hanc etiam Justitiam commutativam non dubitamus referre *inſtitutionem pœnarum*. Hæ enim cum infliguntur, rectè æstimationis delictis, utique simplex occurrit inter delictum & pœnam æqualitas; neque ad personas respectus habetur. Quamvis enim ob